

DE
FENESTELLA
HISTORICO ET POETA

SCRIPSIT

LUDOVICUS MERCKLIN,

PHIL. DR.

Als

C i n l a d u n g

den öffentlichen Prüfungen im Gouvernement-Gymnasium und in
den übrigen öffentlichen Schulen

D o r p a t.



Dorpat.

Gedruckt in der Universitäts-Buchdruckerei von J. C. Schünemann's Witwe.

1844.

АЛЛЕГРО СИНЕТ
А Т Е О Ч Т Е О Д Е Я О Т А И
тижній

ЖУРНАЛ СОВЕТСКИЙ

но. 119

I M P R I M A T U R.

Dorpati d. XXII. m. Nov. a. MDCCCXLIV.

D. FRID. NEUE, Censor.

ESTICA

B. 347.

ni 6an mieningis etenimis mi mieningis mihilas mi
mihilas mihilas mi

т о ч а с

818

т о ч а с

8 nov 1978

АНГЕЛ

Votis ante quadriennium susceptis de historicorum Romanorum vitis et reliquiis denuo pertractandis (de Jun. Gracchan. I. p. 5) quum interim parum satisfactum esse viderem, hac scribendi opportunitate ita utendum putavi, ut ipse aliquantulum conferrem ad futuri editoris partes sublevandas. Qui secundis curis in iisdem elaboraturus nominibus, quae ab Augusto Krause (Berol. 1833) composita sunt, etsi haud exiguum historicae artis curriculum explesse videri possit, tamen ad justum et consummatum historicorum Romanorum corpus concinnandum neque eos praeterire licebit scriptores, qui hujus generis laudem reipublicae aetate florentem sub Caesaribus aemulari perrexerunt. Nam quemadmodum civitatis forma, quamvis maximis ruinis labefactata, non subito est conversa, sed paulatim in aliam speciem desedit, sic historiae quoque scribendae ratio, quae ex illius indole suspensa est ejusque vices refert, tenacius pristinum morem retinebat atque libertati amissae aliquamdiut dicendi libertas fuit superstes. Quamobrem, ut ex uberrimo historicorum proventu, quem libera respublica tulit, ad messem secundam senioris aevi colligendam transitum pararem, librique Krausiani exhiberem incrementum, non haesitavi ad eorum scriptorum unum me convertere, qui reipublicae exitus atque Caesarum primordia vita attigerunt scriptisque consignarunt, neque temere multo clariora nomina praetergressus, quippe suos habitura sospitatores, in Fenestellae memoria obliterata fere atque evanida instauranda acquievi. Cujus reliquias, qui primus de historicorum fragmentis colligendis meruit, non neglexit Antonius Riccobonus (de historia liber. Basil. 1579. p. 471—474), unde saepius repetitas novissimus exhibit Frotscher post Sallustium Cortii repet. Lipsiae 1825. Vol. I. p. 489—494. Egerunt de eo post Vossium (de hist. Lat. I. I. c. 19. p. 100), unde sua derivavit Funccius (de viril. aet. I. L. P. II. c. 5. § 8. p. 288), breviter G. Bernhardy (Grundr. d. R. L. p. 260), Baehrius (Gesch. d. R. L. Ed. 2. p. 411, et in Encycl. real. T. 3. p. 444).

Fenestellae ne nomen quidem, quod alias scriptoris res perscrutanti facem praferre soleat, certam de origine atque patria notitiam suppeditat, quum gentis significatione destitutum sit. Lucii enim praenomen, quo enundem tralaticio errore homines docti recentiores ornarunt, nullo antiquitatis testimonio adjuti, sed nimium quantum

Dominici Flocci artibus confisi, qui quod sciam primus hac nominis forma usus est, rejiciendum erit tamdiu, donec constiterit certius, utrum libri sui praescriptionem Italus ille antiquae memoriae debeat, an finxerit temere. Quod etiamsi minus ambiguum esset, Lucium tamen nolim gentis notionem continere, qui quidem mos, praenominibus loco gentilium utendi, quanquam Caesarum tempore obtinuit, atque fasti consulares jam a. u. 818 C. Lucium Telesinum produnt, ad hominem reipublicae etiamtum aevo natum minus pertineat, neque is abusus, quem inde ab imperio Augusti susceptum scribit Cannegieter (de mut. Rom. nom. sub principibus rat. p. 7), de nexus gentili Fenestellae nos faceret certiores. Itaque ambigendum erit, utrum casus nobis gentile nomen Fenestellae inviderit, an forte eo caruerit, ingenuusne fuerit, an libertinorum conditione usus. Neque Fenestellae cognominatio, nemini alteri indita, cum rebus Romanis aliud vinculum habet, quam portam cognominem, cuius meminit Ovidius Fast. VI, 572. Plut. Q. R. 36. de fort. Rom. 10. cf. Merkel. de obscuris Ov. F. p. CLIII. Becker de R. v. muris atq. portis p. 103. Hdbch. d. R. A. T. I. p. 175. Quodsi ejus vocis formam respicimus, non desunt quidem similia, qualia Statilius Capella, eq. Sabratensis ex Africa (Suet. Vesp. 3) et Marcianus Mineus Felix Capella idem Afer, (cf. Grut. inscr. 350, 5) L. Junius Moderatus Columella Gaditanus, L. Cornelius Dolabella (Tac. h. I, 88), Q. Lucretius Ofella (Ellendt. ad Cic. Brut. 48, 178), Mustela Tamisius Anagninus (Cic. ad Att. XVI, 11, 1) et Mustella Gordianus (Reines. Inscr. 20, 368), Calavius Perolla Campanus (Liv. 23, 8, 7), M. Nigidius Vaccula (Inscr. Pomp. Becker Gall. T. 2. p. 26), M. Allejus Luccius Libella (Inscr. Pomp. n. 3820 Orell.), unde tamen impeditum est, eorum cognominum patriam constituere, quanquam non magnopere repugnabo, si quis Campaniam divinare velit, quacum Fenestellae et alia ratio intercedit, et cuius regionis nomina topica Abella, Atella, Totella eandem appellationis speciem referunt. Nostrum vocabulum unde derivandum sit, non potest esse ambiguum, praeente Ovidio l. l.: „Nocte domum parva solita est intrare fenestra, Unde Fenestellae nomina porta tenet“, licet codicum scriptura variet, Faenestella Ed. Taur. Dig. 1, 13, phenestella eod. Bambg. Plin. n. h. 33, 1, 6, Finestella cod. Bruxell. Fulgent. n. 9172, neque Graecos primae syllabae brevitas impedivit, quominus more suo, vocum ex Φαίνω compositorum memores, scriberent Φαινεστέλλας Plut. Q. R. 41. v. Sull. 28. cod. Sangerm., constantes adeo sibi, quam fenestram ad eandem radicem Φαινέστραν (Plut. de fort. Rom. 10) retulerint. Qua originatione per se verissima Alciatus Parerg. XII, 5. p. 486 videtur audacius usus esse, haec asseverans: „Latini veteres hujusmodi calvos fenestellas vocabant, quod ea calvicies sieut

vasculo sides, ita etiam fenestrae similitudinem p[re]se ferret, hincque historici Fenestellae nomen apud Plinium, quod ea corporis parte glaber auctor ejus familiae fuisse, quae nulla antiquitatis auctoritate confirmata notasse sufficiet. — Possit quis pleniorum nominis formam elicere velle ex Fulgent. mythol. III, 2: „Sed ut Fenestella in Archaicis scribit“, ad quem locum annotavit Muncker: „6. edd. et ms. Leid. Fenestella Martialis. Savaro censem illum esse Martialem, cuius lib. IX. ep. 14 mentionem facit Sidonius. Giraldus Part. II. Dial. 18 ex uno nobis duos facit. Fabulam, inquit, hoc loco talem attingit, cuius et Fenestella et Martialis meminit.“ Sidonius vero quum l. I. haec habeat: „Nam si deomittantur, quae de titulis dictatoris invicti, scripta Patavinis sunt voluminibus, quis opera Suetonii, quis Juventii Martialis historiam, quisve ad extremum Balbi ephemeridem fando adaequaverit“, in quibus nulla Fenestellae mentio, Savaroni non major fides tribuenda videtur, quam Vossio de h. L. III, 2. p. 711. cf. p. 177 a Juvenco Martiale Gargilium Martiale non differre conjicienti. De quo cf. Bhdy. p. 322 n. 580. Apud Fulgentium altera lectio Fenestella in Archaicis scribit, quam Vossio teste (de h. L. p. 100) Commelinus ex mss. secutus est, fere praestare videtur, propter morem ejus scriptori libri nomen adjungendi, cuius exempla v. ap. Lersch. Fulgent. p. 14. Quiequid autem est, ad liquidum res vix poterit perduci ex codd. illius loci depravatis, quorum hanc varietatem enotavit Bodius mythogr. 1, 232. T. 2. p. 72: Sed ut Fenestella in Achaicis (manifestella marcialis E., fene-
stella marcuacis G.) scribit Fulg. in Achaicis om. B.

Ali quanto certius de aetate constat, qua Fenestella vixerit. Nam Hieronymus in Euseb. Chron. p. 157 ed. Scalig. sec. a. 1658 ad a. MMXXXV=Ol. 199, 3 adscripsit: „Fenestella historiarum scriptor et carminum septuagenarius moritur sepeliturque Cumis.“ Unde sexto Tiberii Caesaris consulatu a. u. 772=20 p. Chr. n. obierit, natusque fuerit a. u. 702=51 a. Chr. Verum jam Scaliger animadv. in Euseb. Chron. p. 183 discrepantium inter Hieronymum et Plinium annotavit, qui n. h. 33, 11, 52 scribit: „Repositoriis argentum addi sua memoria coeptum tradit Fenestella, qui obiit novissimo Tiberii Caesaris principatu.“ Tiberii autem Caesaris principatus quum usque ad a. u. 789=37 p. Chr. pertineat, discrimin fit annorum paulo plus vel minus 15. Et vixisse aliquamdiu sub Tiberio testatur alter locus Plinii 8, 48, 74: „Togas rasas Phrygianasque Divi Augusti novissimis temporibus coepisse, scribit Fenestella.“ Unde etiamsi annus quo obierit non possit accurate computari, tamen efficietur id, non mortuum esse post a. u. 789 neque natum post a. u. 719.

Non enim potest esse dubium, utra temporis notatio praferenda sit, postquam denuo Ritschelius in mus. Rhen. a. 1843 p. 625 sq. docuit, quanta sit Hieronymi in constitutis scriptorum temporibus levitas atque licentia, qui unius Suetonii in vitis virorum illustrium vestigia premens, ubi ab hoc se destitutum sentiret, suo genio indulgeret. Inde verisimile est, eundem in anno emortuali Fenestellae definiendo, ut in aliis multis peccasse, quanquam quid errori ansam dederit, nunc nemo facile exputabit, praecluso fonte, unde suam de Fenestella notitiam scriptor ecclesiasticus hauserat. Id vero fuisse Suetonii opus ut statuamus, primum suadet hoc, quod non annalium tantum, sed carminum quoque scriptorem Fenestellam commemorat, ut jure ex Suetonii de poetis libro desumus videri possit (Ritschl. p. 622), quum historicorum, quos non tractasse videtur Suetonius, exigua apud Hieronymum sit mentio, et eorum quidem, quos undecunque cognoscere potuit, deinde ipsi Suetonio Fenestellae nomen non fuit ignotum (v. Terent.). Quae controversa erunt, donec Sicconii Polentoni opus ex Suetonii libris ab ipso suppressis corrasum ex bibliothecarum tenebris prodierit.

Librorum Fenestellae etsi non omnis periiit memoria, et reliquiae aliquot diem tulerunt, tamen has quoque ita habemus comparatas, ut in verisimilibus caute pensitandis acquievisse, quam ad certa audacius prorupisse satius fuerit. Annalium commentatorem vocat Tertullianus (adv. Valentinian. c. 34. p. 262. ed. Rigalt. Venet. 1744), quorum libros II et XXII laudat Nonius, p. 154. 385. Historiarum contra scriptorem ab Hieronymo vidimus appellatum. In quo nihil aliud, quam vulgarem in historicorum libris nuncupandis inconstantiam agnosco, neque propterea necessarium duco, ut Fenestella et annales et historias scripsisse putetur, quae Scaligeri fuerit sententia, apud Hieronymum loco carminum reponentis annalium. Historiarum enim et annalium' discrimen, quo diutius in utroque genere est elaboratum, coepit fieri tenuius, quin alterutro nomine inscriptam rerum gestarum narrationem ab antiquissimis temporibus ad suam aetatem deducere Romani vererentur, quanquam sub Caesaribus non omnino desiisse, Taciti exemplo docemur (cf. Niebuhr, Ueber den Untersch. zw. Annalen u. Historie, in mus. Rhen. 1828. p. 286). Fenestellae annales quanti ambitus fuerint, quaerendum est. Quibus si Plinianos locos VIII, 48, 74. XXXIII, 11, 52 annumerare licet, Tiberii principatum attigisse videntur. Licet enim divi Augusti appellatio non fuerit Fenestellae, sed Plinii, constanter ita dicentis, tamen commemorationis moris, qui D. Augusti novissimis temporibus coepit, et altero loco de Fenestella addita haec: „qui obiit novissimo Tiberii Caesaris principatu“, quibus illustrarentur „sua memoria coeptum“, mibi quidem

significant, ea Tiberio regnante scripta fuisse. Nonius quae p. 385. ex I. XXII. servavit, pertinent ad a. u. 698, locus vero ab eodem ex I. II. relatus p. 154 brevior est, unde certam temporis notam ernalas. Sed vel sic, unde orsus sit Fenestella, conjici potest, ut ex parte tantum probanda sit, quam de opere ejus sententiam concepit Heerenius (de fontibb. Plut. p. 103) „A quo anno incepit, non satis constat; ad origines enim urbis vel saltem ad regum tempora eum adscendisse ex loco Plinii XV, 1 qui Tarquinii Prisci aetate oleas nondum in Italia extitisse ex eo annotavit, concludere non audeo; continuisse autem florentissima reipublicae tempora, ac ultra Crassi aetatem deductos fuisse ex nostro clarum est, si quidem plura eum in Crassi vita ex Fenestella desumsisse, infra apparebit.“ Sunt enim praeter Plinianum locum alii, qui ad antiquiora urbis tempora jure referantur, quales Senecae Ep. 108 de provocatione ad populum etiam a regibus data, Ulpiani Dig. I, 13 de quaesturae initiis, Censorini de d. n. 20 de anno verfente Romae statim initio duodecim mensium, Plutarchi Q. R. 41 de Suilliorum, Porciorum, Bubulcorum nominibus ab antiquissimo vitae Romanae genere repetendis, Jo. Lydi de mag. III, 74 de Gallis Brenno duce in Galatiam incurrentibus. Quae quidem omnia et hic illic data opportunitate et in aliis adeo Fenestellae scriptis poterant memorari, sed facillime in annalibus quoque a primordiis rerum Romanarum exorsis locum tuebuntur. Unde Baehrio I. I. accesserim, Fenestellae annales regum tempora complexos esse judicant. Obloquendum autem est Madvigio, qui in disput. de Asconio Ped. p. 64 haec annotavit: „Quae extant Fenestellae fragmenta pertinent fere ad res Romanas post Punica bella, nec sane videtur universam historiam Rom. annalibus complecti potuisse, quum in singulis rebus tam esset diligens, ut orationum Ciceronis habitarum tempora notaret et alia hujus generis. Itaque quae ad superiora tempora spectant, videntur mihi aut per excessum dicta aut in Epitomarum opere, a Diomede laudato, fuisse.“ Primum enim, quum ignoremus, quot fuerint annalium libri, omnis illa dubitatio de loco quo res suae aetati propiores diligenter Fenestella enarraverit, concidit; atque quo consilio quave ratione ejus aevi scriptores historiam tractaverint, documento sunt Liviana historiae, sexaginta libris sex priora urbis saecula complexae, octoginta impertinentes uni a Gracchis ad Augustum aetati (cf. Ul. Becker in Dahlmann, Forschg. T. 2. p. 206). Deinde non video, quo jure quae annalium justum ambitum excesserint, putemus fuisse in Epitomis, brevioribus illis, siquidem quae ex I. II. Diomedes p. 361. P. protulit, ad a. u. 678 pertinent (Drumann, G. R. T. 3. p. 135), ut duo fere Epitomarum libri viginti annales aequaverint. Sed mihi potius hi libri majorem annalium ambitum contestari

videntur, iisque ea omnia vindicare, quae perspicuum rerum cursum interruperint, unde ipsarum conficiendarum opportunitas extiterit. Fuerunt autem, si ex uno apud Diomedem frustulo conjecturam facere licet, brevissimae, ut indicis locupletioris speciem referrent, non absimiles epitomis Livianis aut potius Gellianis rerum capitibus. De quibus sicuti dubium est, fuerintne ab ipsius Livii manu profectae, sic eandem suspicionem in Fenestellae epitomis a quibusdam motam videmus, teste Vossio, l. l.: „Sed viri docti arbitrantur, eas epitomas non fuisse genuinas, eo quod in fragmento a Diomede allato sit vox de collandi, quae Fenestellae aevo fuerit ignota, saltem purius loquentibus. Verum quum Diomedes aperte dicat, quos veteres dixerent securi caesos, eos Fenestellae vocari decollatos, magis sit verisimile, jam Tiberii aevo vocem obtinuisse.“ Ad rem dijudicandam locum Diomedis p. 361. P. integrum adscribam. „Decollo decollavi; hoc verbum apud veteres decipio significat, ut apud Plautum, una est decollavit. item Lucilius XII quibus fructibus me decollavi? victus. quae significatio apud Fenestellam invenitur in libro Epitomarum secundo, Quemadmodum Caesar a piratis captus sit, utque eos ipse postea ceperit et decollaverit. Veteres autem securi caesos dicebant.“ In quibus quum a ceteris historicis Fenestella discrepet, qui piratas a Caesare in crucem actos scripserunt, (Drumann, T. 3. p. 136) fuit, qui ita rem conciliaret, ut capitibus amputatis cruci affixos esse diceret. Qua medela spreta Wesselingius Observ. Var. L. 1. c. 20 conatus est monstrare Fenestellae cum aliis convenire, quippe in ejus fragmento ex Diomedis sententia decollare non sit quod Lucanus ajebat (8, 673), caput ense rotare, sed decipere. Ad eam sententiam concipiendam v. d. declinasse tanto magis miror, quod ipse subjicit: „Teneo praeterea, posteriora doctissimi grammatici verba, veteres autem securi caesos dicebant, cum anterioribus prorsus connecti non posse. Neque enim de decollandi significatione recentiore quicquam dixerat, et eo tamen respiciunt. Quare putem excidisse ea, quae de novissima significatione notaverat. Ipse verborum ordo id suadet.“ Quae verissime dicta sunt. Nam si Diomedis verba, qualia nunc habemus, pro genuinis agnoscere liceret, apud veteres decipere et securi caedere idem fuisse dixisset, quod ineptum. Et videtur lacunae locum indicare in Lucilii versu vocabulum *victus*, quod quid sibi velit non assequor. Manebit igitur Fenestellam inter et eos qui piratarum a Caesare captorum poenam retulerunt, discrimin, neque propter decollandi potestatem recentiorem Epitomarum libri ab illo abjudicandi erunt, quum eandem vocem eodem sensu usurpet Seneca, Fenestellae aetati suppar. Apocol. c. 6. p. 388. Excerpt. p. 428. ed. Ruhkopf.

In tanta scriptoris nostri obscuritate, qualis olim ejus fuerit auctoritas et fides ut cognoscamus, reliquarum perlustranda est copia, atque aduertendum a quo sit et in quibus rebus probatus aut reprehensus. Antiquissima ejus memoria extat apud Lyd. de mag. III, 75. p. 269. ed. Bonn. πρὸς Πεσσινούντι πόλει τῆς Γαλατίας (οὗτῳ δὲ τῷ χωρίον ὄνομασθῆναι συμβέβηκεν ἐκ τοῦ πεσεῖν ἀπέίρους ἔκει, Γαλατῶν τῶν περὶ Ροδανὸν ἐπιπεσόντων τῇ χώρᾳ Βρέννου ἡγησαμένου, καὶ τὴν ὁμώνυμον αὐτοῖς χώραν ἐκδικεῖν Βιαζομένων, ὡς Φενεστέλλας καὶ Σισένας οἱ Ρωμαῖοι Φασιν, ὃν τὰς χρήσεις ὁ Βάροντος ἐπὶ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀνήγαγεν· ἐγὼ δὲ τὰς βιβλους οὕπω τεθέαμαι) n. τ. λ. Quibus si fidem habere licet, non vilem profecto laudem Fenestellae compararent. Varronem enim novimus aequalium testimonio perraro usum esse, (v. Mueller ad Varr. de l. L. V, 98) quanquam ab eo more, vel ex iis quae supersunt, aliquoties recessisse probari potest, cf. Weichert, de Cass. Parm. p. 272. Mueller, ad Fest. p. 355. l. 6. Ad quae ipsius Sisennæ, qui anno u. 687 morbo absuntus est, exemplum accedit. (Wernicke, Sisenniana p. 19.) Eum Varro propter studiorum similitudinem (Bhdy. R. L. G. p. 92. n. 160) dignum habuit, quem singulari libro logistorico, Sisenna vel de historia, celebraret (Gell. XVI, 9), atque ejusdem auctoritate usus est de l. L. VIII, 73 et ap. Gell. II, 25. Unde Lydi fides augescit, addentis insuper librum, quo illorum duumvirum sententias Varro adhibuisset. Verum eundem temporum ratio refellit. Quo nomine Krahner, diss. de Varr. libris antiquis p. 29 monuit: „Noli putare, Lydum τὰς βιβλους Fenestellae tantum et Sisennae dixisse. Varronis enim libros si inspexisset, Fenestellam non in Varrone quaesivisset.“ — Quaerendum igitur est, quando Varro antiquitatum rerum humanarum libros scripsisse putandus sit. Eam quaestionem Merkelius, (de obscur. Ov. Fastor. p. CIX) qui novissimus de libris Varronianis rerum divinarum commentatus est, non temere instituere supersedit, neque dicere habuit, num utrique eodem tempore, an deinceps publicati fuerint. Krahner p. 29 ad Schneideri de vita Varronis disputationem verisimilem (Scr. r. r. T. I. p. 217 sq.) lectorem allegat. Neque possunt profecto veriora effici, sed acquiescendum est in eo, libros antiquitatum rerum humanarum, quos ipsius Varronis testimonio apud Augustin. de c. d. 6, 4 constat ante rerum divinarum libros scriptos fuisse, non serius his foras datos esse. Qui quum Caesari pont. max. inscripti essent, quocum Varro a. u. 706 in gratiam redierat, (Schneider. I. I. p. 231) eorumque Cicero in Bruto c. 56 videatur mentionem facere, quem dialogum principio a. u. 708 concinnavit, (Ellendt. ed. 2. p. 328) jubemur fere intermedio tempore editos statuere. Quodsi Merkelio eandem quaestionem I. I. retractanti obtemperamus, habebimus

Varronem a. u. 708 in Cumano antiquitatibus scribendis deditum (Cic. ep. ad fam. IX, 1. 5. 8. Acad. post. 1, 1), cuius loci vicinia nonne praecclare concinit Fenestellae, Cumani si placet, commemorationi? Verum etiamsi rerum humanarum libros a. u. demum 708 absolutos putemus, Fenestellam septuagenarium extremo Tiberii principatu decedentem, tunc ne natum quidem habebimus, aut puerulum admodum, si quis Hieronymum sequi maluerit. Quid igitur Lydianus locus fiet? Hominem non nimis doctum et male partae eruditionis ostentandae cupidum post alios Dirksenius demonstravit (Verm. Schr. Th. I. p. 62. 72), mendacem fuisse nondum constat. Nostro loco noluisse mentiri, ea quae modeste sub jungit de libris nunquam a se visis, confirmant. Quo magis ducimur ad id, ut invitum peccasse sumamus, dum quae de uno Sisenna a Varrone laudato legisset, ad Fenestellam quoque festinanter transferret, quem de eadem re scribentem compererat. Neque enim opus est, ut propter Lydi errorem Fenestellae nomen prorsus exulare patiamur, neque hujus tutandi gratia a Varrone omnem illam rem abjudicemus, cuius libris rer. hum. qui fuerunt de hominibus II—VII, et horum quidem extremo irruptionis Gallorum memoriam probabiliter tribuit Krahner. I. I. p. 27. Est autem similis error, quem in Ulpiani verbis vertendis (Dig. I, 13) Lydus commisso creditur (de Jun. Gracchan. II. p. 6. sq.), qui quomodo hic ortus fuerit, videtur indicare. — Diligentissimum scriptorem Fenestellam Lactantius (Inst. Div. 1, 6, 14) appellat, eumque cum Varrone compositum inter maximos auctores refert (de ira d. 22, 5). Utroque loco quum de Sibylla Erythraea agatur, quam a Cumana non differre antiqui crediderunt (Klaussen Aeneas. u. d. Penaten. T. I. p. 246 sq.), facile intelligitur cur ad Fenestellae auctoritatem provocarit, si eundem ex Cumana origine sive commemoratione de Cumana Sibylla ejusque prosapia accurate rescivisse dabis, cuius memoriam qui Cumanam historiam composuerunt, non videntur praeterisse. Mueller. ad Fest. p. 266, 26. Ad diligentiae quoque laudem pertinet, quod unde rerum notitiam sibi comparaverit, non supersedit dicere. Ejusmodi sunt, quae de Crassi juvenis rebus gestis ex ancillarum alterius, quae eidem in Hispania in Vibii Paciani fundo latenti servierunt, jam senescentis ore refert ap. Plut. v. Crass. 5. Τούτων. Φησὶ τὴν ἑτέραν ἥδη πρεσβῦτιν οὖσαν ὁ Φενεστέλλας ἰδεῖν αὐτὸς καὶ πολλάκις ἀκοῦσαι μεμνημένης ταῦτα καὶ διεξιούσης προθύμως. Unde conjici possit, ipsum in Hispania fuisse, et juvenem quidem. Crassi enim peregrinatio illa quum in a. u. 667=85 cadat (Drumann. T. 4. p. 72), Fenestella vero circum a. u. 719 natus sit, interjacent anni fere 52, quibus 18 tantum desunt ad eam aetatem explendam, quam Fenestella attigit. Ceterum non satis circumspecte scripsit Heerenius I. I. p. 113:

„Quae sex prioribus capitibus de Crassi natalibus tradit, ita inter se cohaerent, ut ex eodem fonte haec hausta esse, dubium esse nequeat. Indicat vero hunc ipse Plutarchus, dum ad Fenestellae auctoritatem provocat, ex cuius annalibus itaque haec desumta esse certum est.“ Parum enim cohaerent, quod Plutarchus ipse indicat, in extremo c. 3 addens: Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὑστεροῦ. Unde ad Fenestellam tantum c. 4 et 5 tuto referre licebit. In altera vero vitae parte, quum plures consultasse, non nominatim tamen, Plutarchum Heerenius viderit, difficile dictu est, quid ad unumquemque pertineat, neque quae tribus primis capitibus continentur, ejasmodi sunt, ut ex ancillari narratione tenuisse Fenestella judicandus sit. Quae ab eodem de provocatione sub regibus ex pontificalibus libris relata leguntur ap. Senec. Ep. 108, de una perduellione dicta fuisse suspicatur Woeniger (Sacralsystem u. Provocationsverf. d. R. p. 256), unde aut Seneca aut Fenestella paulo negligentius scripsisse arguendi erunt. Et reprehensum eundem a veteribus non semel reperies, quanquam sunt fere res controversae neque nostro acumine dirimendae. Sic Asconius in Cic. Or. in tog. cand. (p. 85. Or. cf. p. 86) addubitat, quod Fenestella tradiderat, Catilinam, a P. Clodio repetundarum reum, a. u. 688 a Cicerone fuisse defensum. Ejus vero patrocinium suscepit Drumannus (T. 5. p. 410 sq. cf. p. 154. 256. 293), qui si forte iniquius de Cicerone sensisse videatur, ita excusandus erit Fenestella, ut aut ex commentariis defensionis Ciceronianae, Asconio jam non repertis (p. 87), non tantum de defendendo cogitasse, sed defendisse collegerit, aut inter Ciceronis orationes ut inter Caesaris jam Augusti aeo quaedam temere latae sint. Suet. v. Caes. 55. Levius est dissidium inter Fenestellam, qui Ciceronem sexto vicesimo aetatis anno pro S. Roscio dixisse scripsit, et Asconium statuentem eam orationem habitam a Cicerone jam sex et viginti annos nato, L. Sulla Felice, Q. Metello Pio coss. i. e. a. u. 673 (Gell. XV, 28), quem sequitur Quintilianus XII, 6, 4. Fenestella sibi consentientem habet Hieron. Chron. ad Ol. 174, 4, ejusque partes tutatus est Corradus Quaestura. p. 45, Ciceronem pro S. Roscio M. Tullio Decula, Cn. Cornelio Dolabella coss. a. u. 672 dixisse ratus, qui dum p. 42 scribit, se Fenestellam et Quintilianum probasse, fallitur, quum ab altero alter discrepet. Quod ex accurata Pighii disputatione patebit (T. III. p. 259), qua egregie Asconius defenditur. Fenestella igitur si erravit, tanto faciliorem nanciscetur veniam, quod Cornelius adeo Nepos, Ciceronis amicus familiaris, tres et viginti annos natum Ciceronem dixisse scripsit (Gell. I. I.). Rursus unius diei discrimen inter Asconium (in Cic. Milon. p. 32. Or.) et Fenestellam est, quum hic Milonem Lanuvium profectum statuat a. d. XIV. Kal.

Febr., ille a. d. XIII. Kál. Febr. Mirum quidem videri debet, Fenestellam neglexisse ipsius orationis Miloniana c. 10. § 27: „Interim cum sciret Clodius — iter solemne, legitimum necessarium ante diem tertium decimum Kal. Febr. Miloni esse Lanuvium“ (cf. c. 17. § 45), ad quem locum cum ipsis causae actis congruentem Asconius provocavit, sed aegre nunc aliquis dixerit, quo fundamento ejus sive discrepantia sive error nitatur. cf. Drumann. T. 1. p. 47, n. 69. T. 2. p. 343, n. 55, qui et ipse Asconii sententiae accessit. Lapsum praeterea Fenestellae castigat Plinius n. h. IX, 35, 59, quod uniones Romae coepisse circa Sullana tempora minutos et viles scripserit, quum Aelius Stilo Jugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodat. Qua in re non ita multum inter utriusque temporis notationem interest, quum ab ipso Jugurthino bello non immerito Sullana tempora coepisse videantur. Concedendum tamen erit Aelii auctorati, qui circa annum u. 620 natus, juvenis belli Jugurthini aetatem viderit. (cf. Heusde de Ael. Stil. p. 35). Neque tamen desunt alia multa, in quibus Fenestellae libris uti confidenter et Asconius (in Pison. p. 5) et Plinius (n. h. 8, 48, 74. 15, 1, 1. 33, 1, 6. 33, 11, 52) et Suetonius (v. Terent. 1) non dubitarunt.

Quae si omnia inter se comparata collegeris, non potest esse ambiguum, quin aliqua auctoritate olim Fenestellae libri fuerint, cuius exemplum sequi aut refellere errores Romani dignati sint. Utrum vero plurimae quae diem tulerunt reliquiae, annalibus depromtae videri possint, an aliis ejusdem auctoris scriptis vindicandae, quaerere supervacaneum est, quum solido disquisitionis fundamento res destituta sit. Video tamen ita statuente Lerschium I. I. p. 75, qui propter Plinianos locos suspicatur Fenestellam de re rustica scripsisse. Sed pari jure licentiave ex iisdem de vestimentis, de piscibus, de ludis libros singulares aliquis odoratus fuerit. Nihil autem videtur obstare, quominus ejusmodi quoque relationes a rerum gestarum natura abhorrentes, annalibus tribuamus, unde similia multa Plinius hauserit, n. h. 8, 36, 54. 8, 44, 69. 8, 51, 78. Habent praeterea omnes fere Fenestellae reliquiae hoc sibi commune, ut de diversis inter se quamvis rebus agentes, semper ad temporis certi momentum eas referant, id quod facili negotio unde factum sit intelligitur, si ex libris secundum annos digestis profectas sumseris. Quid quod in iis adeo, quae fortasse non poterant ad annum computari, ad aetatis saltem suae atque memoriae certas stationes redigendis occupatum reprehendimus. Plin. 33, 11, 52.

Ad Fenestellae poetae memoriam pergam. Nam carminum scriptorem aperte dicit Hieronymus I. I., cui nihil est cur diffidamus, quo usque Suetonii de poetis liber, aut Polentoni inde derivatum opus non fuerit

repertum. Cohibenda igitur est Scaligeri licentia Animadv. p. 183 autem mantis: „Imo annalium, non carminum. Hic aliud agebat Hieronymus. Lilius Gyraldus frustra suspicatur de mendo, quum sit σφάλμα μνημονικόν aut παρόγραμτα Hieronymi“, et Vossii de vett. poett. temporib. p. 39. Praeterea carminum Fenestellae vestigium nullum. Ne quis enim decipi se patiatur a Forbigero ad Virg. Aen. VIII, 90 festinanter scribente: „Ennii, quem vulgo comparant, versum (p. 74 Hessel.) Mox auferre domos populi rumore secundo, non hujus poetae, sed Fenestellae esse, vidit Merula. p. 447“, qui si Planckium ad Ennii Med. p. 2 adiisset, cognoscere poterat, Merulam tria tantum ultima verba populi rumore secundo spuria habuisse, ex Fenestellae verbis apud Nonium praecedentibus in Ennianum versum illata. Eum Wagneri ad Virg. l. l. brevitas transversum egit. — Multo magis ambiguum de Fenestella poeta testimonium derivandum est ex Fulgent. de abstrus. sermon. p. VII. Lersch.: „Quid sit vadatus. Vadatus dicitur obstrictus vel sub fide jussione ambulans. sicut Finestella ait. Penes quem vadatos amitae modo tenebant“, ad quem locum Lerschius p. 75 dum negavit aliam poetae mentionem extare, Hieronymi fuit immemor. Qui quum sagaciter docuerit, Fulgentium Fenestellae quoque fragmentum, ut alia multa, ex Plauti Bacch. 2, 2, 3: „Ita me vadatum amore vincitumque attines“ paucis mutatis suffuratum esse, Fulgentii tamen fraus et aperitur et minuitur, si Fenestellae poetae famam ad eum delatam esse dabis. Quae quum ita sint, non solum hic locus Fenestellae reliquiis eximendus erit, sed non immerito fraudis suspicio ad alterum quoque Fenestellae fragmentum ab eodem Fulgentio myth. III, 2 servatum pertinebit. Quo nomine jam Madvigius l. l. praeivit: „Quicquid fragmentorum apud solum Fulgentium est, suspectissimum vel potius supposititium esse, confecta res est; neque sane illa verba ex Archaicis (ignoto caeteris Fenestellae opere) laudata Augusti tempore scribi potuerunt, nedum scripta sunt.“ Tumorem enim illa atque luxuriem potius Afrorum sapiunt, ab Augustei aevi elegantia magnopere recendentem. Unde inter dubia saltem collocanda erunt, donec hujus quoque furti dominum dies prodiderit.

Sed quo jam antiquitas abusa est nomine ad fraudes suas operiendas, eo neque medii aevi licentia abstinuit. Notum enim est, Dominicum Floccum Florentinum, Emanuelis Chrysolorae discipulum, secretarium Pontificis Romani et Canonicum Florentinum, qui obiit a. 1452 (Tiraboschi. Stor. della lett. Ital. T. VI. P. 2. p. 640), sub L. Fenestellae nomine libros duos de magistratibus et sacerdotiis Rom. venditasse, de quibus quid statuendum sit, docuerunt Vossius de h. L. 1, 19. 3, 7, Hankius de Rom. Rer. script. p. 197. Quae fraus utrum memoria quadam librorum cognominum Fene-

stellae veteris de eodem argumento etiamtum redundantि nitatur, — neque enim sufficit mihi Tiraboschi l. l. T. l. P. 2. p. 371 auctoritas: „Innoltre L. Fenestella che visse a' tempi d'Augusto — alcuni annali avea scritto, e un libro de' magistrati romani“ — an ejus committendae consilium ex iis ortum sit reliquiis, quae magistratum et sacerdotum mentionem faciant, quales Dig. 1, 13. Lactant. 1, 6, 14. (Fenestella — de XV viris dicens, ait), quis tandem est, qui post tantum annorum intervallum expediat?

Reliquias Fenestellae, in quibus post Frotscheri curas quaedam efficienda restant, quominus huic commentationi, quod erat in optatis, adjicerem, libelli scholastici angustiis prohibebar. Itaque eos tantum locos indicabo, unde Frotscheri recensus possit locupletari: Lyd. de mag. III, 74. — Ulp. Dig. 1, 13 et Lyd. de mag. 1, 24. — Senec. Ep. 108. — Censorin. de d. n. c. 20. — Ascon. in Pison. p. 1. Or. — Id. in Or. in tog. cand. p. 86. — Plin. ind. auctor. I. XIV. —

Die öffentliche Prüfung im hiesigen Gymnasium wird an folgenden Tagen und in folgender
Ordnung stattfinden:

am 19. December, von 9 Uhr Vormittags ab,

in **Quinta**: **Religion**, Herr Oberlehrer, Coll.-Rath und Ritter Dr. Carlbom. —
Geschichte, der wissenschaftliche Lehrer, Herr Fraenkel. — **Russisch**, der Lehrer der
russischen Sprache, Herr Witte. — **Geographie**, Herr Oberlehrer Dr. Hansen.

in **Quarta**: **Griechisch**, der wissenschaftliche Lehrer, Herr Dr. Mercklin. — **Arithmetik**,
der wissenschaftliche Lehrer, Herr Fraenkel. — **Russisch**, der Lehrer der russischen Sprache,
Herr Witte. — **Naturbeschreibung**, der Herr Inspector v. Schroeder.

in **Tertia**: **Latein**, Herr Oberlehrer, Hofrath Cedergren. — **Planimetrie**, Herr
Oberlehrer Maczewski. — **Griechisch**, Herr Oberlehrer, Coll.-Assessor Dr. Mohr. —
Geschichte, Herr Oberlehrer Dr. Hansen. — **Russisch**, der Lehrer der russischen
Sprache, Herr Witte.

Zum Schlusse werden von den Schülern dieser Classen Versuche im Declamiren in deutscher,
russischer und französischer Sprache angestellt werden.

Am 20. December, von 9 Uhr Vormittags ab,

in **Secunda**: **Religion**, Herr Oberlehrer, Coll.-Rath und Ritter Dr. Carlbom. —
Poetik, Herr Oberlehrer, Coll.-Assessor Thraemer. — **Griechisch**, Herr Oberlehrer,
Coll.-Assessor Dr. Mohr. — **Stereometrie**, Herr Oberlehrer Maczewski. — **Russisch**,
Herr Oberlehrer Nikolitsch.

in **Prima**: **Latein**, Herr Oberlehrer, Hofrath Cedergren. — **Deutsche Literatur**,
Herr Oberlehrer, Coll.-Assessor Thraemer. — **Allgemeine Geschichte**, Herr Oberlehrer
Dr. Hansen. — **Geschichte des russischen Reichs**, Herr Oberlehrer Nikolitsch. —
Französisch, Herr Hofrath, Pezet de Corval.

Hierauf wird der Gouvt. Schulen-Director der Versammlung über die Thätigkeit und die
Ereignisse des Gymnasiums während des verflossenen Schuljahres Bericht abstatten, die Versezungen
in höhere Classen bekannt machen und folgende Schüler der ersten Classe, welche nach absolviertem
Abgangs-Examen die Universität zu beziehen in Begriff stehen, entlassen:

Friedrich Alexander Sticinsky, der Jurisprudenz Beslissen, und
Julius Theodor Neumann, der Medicin Beslissen.

B

Die öffentliche Prüfung in der hiesigen Kreisschule wird am 21. December von 9 Uhr Vormittags ab stattfinden.

In der ersten Elementar-Knabenschule wird die öffentliche Prüfung gehalten werden am 20. December, von 5 Uhr Nachmittags ab;

in der zweiten Elementar-Knabenschule, am 21. December, von 5 Uhr Nachmittags ab;

in der russischen Elementarschule, am 22. December, von 11 Uhr Vormittags ab;

in der estnischen Elementarschule, an demselben Tage, von 4 Uhr Nachmittags ab.

Se. Excellenz, der Herr Curator des Dorpatschen Lehrbezirks, General-Lieutenant und hoher Orden Ritter von Kraftström, Se. Magnificenz, der Herr Rector, der Herr Prorektor und die Mitglieder der Kaiserlichen Universität, der Herr Kronsschulen-Inspector, sämmtliche Behörden des Landes und der Stadt, insbesondere die Mitglieder Eines Hochedlen Magistrats, die Hochwürdige Geistlichkeit beider Confessionen, der Hochwohlgeborene Adel, die Aeltern und Vormünder der Schüler und alle Freunde der Jugendbildung und Gönner des Schulwesens werden hiedurch ehrfurchtsvoll und ergebenst eingeladen, den Act dieser Schulprüfungen mit ihrer Gegenwart zu beeihren.